

Q241

BIBLIOTHEK



Q. D. B. V.
EXERCITATIO PHYSICA
De
FORMA HO-
MINIS

Contra *τοῦ Ἰδοῦ* Opinionem
GERARDI JOANNIS VOSSII

l. III. de Orig. Idol. c. 40.

Quam

Benev. Inclut. Facult. Philosophicæ
Indultu,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Amplissimi, atque Excellentissimi,
DN. M. JACOBI THOMASII,
Eloquentiæ P. P. longè celeberrimi, Fa-
cultatis Philosophicæ Assessoris Gravissimi,
Minoris Princip. Collegii p. t. Præpositi
dignissimi;

Domini Patroni, Præceptoris atque Fautoris
omni observantia cultu æternum
prosequendi.

publicæ Eruditorum ventilationi
d. 23. Septembr. A. M. DC. LXXVI.

Subjicit

GEORGIUS HEINRICUS *Schmann/*
Philos. Baccal.

LIPSIÆ, Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.

J. C. Geysland.



Forma H. O.
M. N. I. S.
D. M. J. A. C. O. R. I. T. H. O. M. A. S. I.
G. E. O. R. G. I. U. M. F. R. O. C. H. E. R. I.
P. R. I. N. T. I. P. T. I. C. A. S. I. A. M. P. R. O. B. I. T. A. T. A. M. P. R. O. B. I. T. A. M. P. R. O. B. I. T. A. M.





Auxiliante Triuno!

§. 1.



Olet hoc evenire nonnunquam viris doctis, cum ingenio ad præstandum erroribus patrocinium abutuntur, ut præter consuetudinem alioqui suam, non modò contradicant sibi, verum in absurdas etiam consequentias prolabantur, insuperque in iis defendendis nebulas offundant Lectori, novisque ineptiis, neque non solæcismis logicis se prostituunt.

§. 2. Expertus est hanc fortunam summus in politiore literaturâ vir Gerardus Joannes Vossius, cum lib. III. de Or. Idol. cap. 40. p. 936. 937. (al. f. 467.) ab hypothesi falsâ, quæ animas humanas à Deo immediatè creari atque sic corporibus infundi asserit, eò se abripi passus est, ut statueret, *formam hominis non esse animam ipsam, sed animæ cum corpore conjunctionem essentialem*, quæ profectò sententia fati est ἀφιλόσοφοι.

§. 3. Neque tamen solum ea Patronum nacta est Vossium. Ante ipsum ita sensisse quosdam, è Joanne Combachio cognosci potest, qui lib. IV. phys. c. 1. p. 489. *Fuerunt, inquit, qui animati formam non posuerunt esse animam, sed animæ in corpore unionem.*

§. 4. Apertè autem de animâ hominis ita sensisse Casmanum deprehendimus, qui c. 1. Psychol. hom. q. 2. pag. 5. & seqq. defendere conatur, *animam rationalem non esse formam hominis completam, sed formam hominis in unione illâ animæ & corporis humani in unam hypostasin statui debere.*

§. 5. Post Vossium Cartesius multa in Philosophiâ suâ superstruxisse huic hypothesi videtur: neque dissimulant assensum suum

A 2

Car-

Cartesiani. Audiamus Claubergium. Sic ille cap. 47. de corp. & anim. conjunct. §. 7. *Quamvis autem animam humanam non sic ab-solvamus à corpore, ut formam ejus assistentem dicamus, quasi non magis corpus ad animam, quam navis ad nautam spectaret; non tamen è contrario sic eam corpori alligamus, ut formam ejus informantem esse putemus, cujuscumodi aliorum corporum forme vulgò judicantur. Et §. 10. Omisissis igitur ejuscumodi considerationibus affirmamus, reverà hominis formam esse illam, de quâ nunc agimus conjunctionem, ipsissimumq; illud motuum cogitationumq; commercium.*

§. 6. Quid Calmannum, quid Cartesium hujusqve affectas impulerit in hoc præcipitium, scrutari jam non vacat, neqve excutere rationes, quibus alii aliis causam hanc fulciunt. Solus hic Vossius nobis vocabitur ad partes.

§. 7. Sed ut accuratum de re tota judicium fieri queat, verba ejus paulò altiùs repetenda nobis & plenius describenda judicamus. Simul juvabit eadem in periodos certas partiri, ut, ubi provocandum deinceps ad sermonis non brevissimi particulas fuerit, ad singulas regredi Lector sine molestiâ possit.

§. 8. Vosius ergò loco citato h. e. III. de Orig. Idol. 40. f. 467. cum duas de humanâ essentiâ opiniones proposuisset, unam Platonis, qui animam solam pronunciabat esse hominem, Varronis alteram, qui animam simul & corpus esse arbitrabatur, posteriori accedit his verbis: *Veriorem hanc (Varronis) esse sententiam arguit, quod longè arctius sit conjunctio animæ & corporis, quam equitis & equi, vel, cui assimilant, nautæ & navis.*

§. 9. Paulò post: *Et quid apertius, quam non posse hominem acquirere species intelligibiles, nisi beneficio sensuum, qui sunt potentie corporis organici? Necessè igitur fuit animam sociari corpori, & ita sociari, ut unum fierent per se.*

§. 10. *Est proinde anima pars hominis; nobilior quidem, pars interrim; pars autem non est ipsum totum; eòq; de hominis essentiâ est, ut corpus habeat; sineq; eo anima est substantia imperfecta. vide Thomam i. part. quest. 65. artic. 4. Paulum Soncinatem l. VII. Metaph. quest. 26. & Cajetanum de ente & essentiâ c. 5.*

§. 11. Occasione hujus Controversiæ, quam cum Platone dictum est Varroni intercessisse, progreditur Vosius ad præsentem nostram

nostram. Sic enim immediate pergit: *Atque hæc verissima sunt, siue anima sit propriè hominis forma, ut communis est opinio; siue potius forma dici debeat ejus cœxistentia, hoc est, compositio ac nexus essentialis cum corpore organico.*

§. 12. *Neque enim levi ad eò tribuere hæc sententia fulcitur, cum ubi due sunt partes, quarum utraq, separatim subsistere sit idonea, unum non possit propriè esse forma alterius.*

§. 13. *Atqui Adamo prius corpus fabricarat Deus, quàm animam illi inspiraret. Etiam Lazari anima erat in sinu Abrahe, cum ejus corpus esset in terris. Adhuc Christi corpus pendeat in cruce, cum anima esset in paradiso.*

§. 14. *Imò anima etiam in corpore fuerit, nec homo erit, quia partes non coaluerint in unam *ἁπλοῦς*: ut de Eutycho vivificato à B. Paulo dicebamus libri hujus c. 20.*

§. 15. *Quibus sane non absurdè colligi videtur, animam non per se & *ἀπὸ τοῦ* hominem informare, ac constituere; sed animà cum corpore essentialiter sociatà, fieri *ὁμοειδὲς*, quod hominem dicimus.*

§. 16. *Id igitur, quod hominem propriè constituit, erit conjunctio anime & corporis, quæ naturaliter sequitur ultimam corporis dispositionem ad hanc conjunctionem.*

§. 17. *Unde & homo, etsi non generet animam, (quæ ut Adami corpori olim est inspirata, ita nunc quoque à DEO creatis infunditur corporibus) nihilominus dicitur hominem generare, quia est causa immediata ultima illius dispositionis, ad quam anime & corporis compositionem, (fortasse legendum, uti §. præcedente, conjunctionem, sed parum hoc refert) quæ hominem constituit, naturà suà sequi dicebamus. Hactenus Vosfiana.*

§. 18. *Ultima ex his factis luculenter produnt, quid in hoc devium iter hominem aliàs doctissimum adegerit. Voluit, uti solent Calviniani, defendere, animam hominis non propagari per traducem, sed infundi formato corpori divinitus per immediatam è nihilo creationem. Hæc opinio premitur inter alia hoc absurdo, quod inde sequitur hominem ab homine non generari univocè. Quomodo enim asseri poterit hæc talis generatio, si parens non generat animam sobolis, quæ forma specifica est hominis, atque ad eò totius pars altera essentialis, & quidem nobilior? Hic paratissimum sibi effugium Vosfius credidit, si negaret, animam esse formam hominis.*

§. 19. Pla-

§. 19. Planè *ἡ ἀνοησία* hæc est sententia. Animam enim rationalem homini, perinde ut irrationalem suam cuiq; bruto, formam esse non illi tuentur modò, qui traducem animæ ex animâ propugnant, sed alii quoque, ut infra §. 36. videbimus, partis adversæ, quibus creatio animarum quotidiana persvafa est.

§. 20. Τὸ *ἡ ἀνοησία* opinionis suæ ipse agnovit Vossius, dum (suprà §. 11.) eam, quæ huic adversatur, animamque propriè hominis esse formam annuit, *communem* vocat.

§. 21. Imò tempus fuit, cum ipse Vossius illam, cui jam contradicit, sententiam tueretur. Sic enim expressè scribit Thef. Theol. Disp. V. (quæ est de statu animæ separata) hypoth. 2. p. 79. *Animæ rationalis est vera hominis forma.* Et mox in expositione hujus hypotheseos p. 80. *Formam cum dico, non accidentalem intelligo, qualis foret continuata perennis motio, quam ἐπέλεξεῖται nomine ab Aristotele significari Cicero sensit: qualis item esset primarum qualitatum crasis, quam hominis formam esse, cum impii heretici Carpocrates, Epiphanes, Prodicus, Casani & Antitactæ Theodoro teste senserunt, tum non uno loco docuit Galenus: sed neque placet magis formam esse assistentem, quamquam Averroës putavit unicam esse omnium animam intellectivam, re ab omnibus separatam, nec nisi per imagines phantasiæ singulis conjunctam. Verum dicimus animam esse formam informantem καὶ εἰδοποιὸν h. e. quæ corpus informet & cum eo hominem in certâ constituat specie. Quid ergò est, quod suam nunc ipse abdicavit sententiam?*

§. 22. Fortasse provocabit ad illud: *δὲ ἡμεῖς Φεγνίδες σοφώταται*. Quid verò si ostendamus, adeò defuisse posterioribus his cogitationibus sapientiam, ut non animadverteret vir doctus, se hic in eadem paginâ scribere pugnantia. Ecce enim in præcedentibus (§. 10.) animam disertè vocat *partem hominis nobiliorem, quæ de hominis sit essentia*. Jam constat duas esse nec plures partes essentielles, materiam & formam, & in his nobilitate formam antecellere. Sic ergò tacitè Vossius concessit animam esse formam hominis, & quidem propriè, neque enim illa pars essentiæ nobilior impropiè forma dici debet. Cur ergò mox (§. 11.) discedit ab illorum partibus, qui animam propriè esse formam hominis censent? Negari sanè non potest, aut secum ipso diffidere hic Vossium, aut clausis oculis Andabatarum more pugnare: cuius rei & aliud postea §. 33. documentum dabimus.

§. 23. Ve-

§. 23. Verùm ne nobis idem, quod Voffio, eveniat, antè omnia clarè atqve dilucidè veram de forma hominis sententiam, è suis fundamentis arcessitam, proponemus.

§. 24. Omne compositum seu totum essentialè habet componentes partes essentialès duas, *materiam & formam*, quarum *illa totum hoc per modum principii interni passivi, hæc per modum activi* constituit.

§. 25. Jam si totum illud est simul concretum substantiale non accidentale, utraqve pars componens est *substantia*, sed *incompleta*.

§. 26. Sive autem illa concretio substantialis sit, sive accidentalès componentes partes, illæ duæ semper ambæ sunt *entia*, vocabulo entis sic sumto, quatenus *ens* opponitur *modo entis*.

§. 27. Id quod in compositione substantiali tantò est manifestius, quia omnis substantia est ens, non verò modus entis, neque ullus modus entis est substantia: Dicitum autem fuit utramque partem componentem hic esse substantiam.

§. 28. Cæterùm tam materia quàm forma substantialis considerari possunt in duplici *statu*, uno *separationis* mutuæ, altero *conjunctionis* sive unionis, & quidem *in unam essentiam*. Enimverò non potest materia modò separatim existere, absqve sua forma substantiali, quod vel experientia quodidie testatur, sed etiam forma substantialis quælibet citrà suam materiam saltem vi potentie divinæ absolutæ. Quis enim neget, DEO possibile esse conservare, si vellet, e. g. animam equi seorsim ab equino corpore? sane hic nulla implicatur contradictio.

§. 29. Jam si partes essentialès considerantur in *statu separationis*, tantùm *potentiâ* sunt partes constituentes essentialès; si verò in *statu unionis*, (quam talem hic esse diximus, ut duo distincta copulentur *in unam essentiam*), *actu*.

§. 30. Ergò isthæc unio, quæ reverà non est *ens* presso sensu, sed *modus entis*, in actu constituendi totius compositi, rationem habet *conditionis* tantùm *sine quâ non*, minimè verò est ipsa essentia pars formalis.

§. 31. Hæc si ad humanæ essentia constitutionem applicamus, totam rem quatuor thesibus circumscribere licebit, 1. *Homo est*
TOTUM

totum *essentiale*. 2. *Partes ejus essentielles dua sunt, corpus humanum & anima rationalis*. 3. *Ex his duabus corpus humanum est hominis materia*. 4. *Rationalis vero anima est ejusdem forma*.

§. 32. Harum quatuor thesium Vossius haud obscure (§. 10.) concedit tres priores; ultimam, tamen si e precedentibus ipsa sequatur ultro, negat tamen (§. 11.) Negat inquam, *animam esse propriam hominis formam*, sentit autem potius, *formam hominis dici debere animam cum corpore organico nexum essentialem*. Sic igitur officium rationalis animae, quae revera hominis est forma, transcribit ejus cum corpore coexistentiae seu unioni essentiali: in locum entis substituit modum ejus.

§. 33. Hanc sententiam suam postea (§. 15.) sic eloquitur: *animam non per se & à se hominem informare ac constituere, sed animam cum corpore essentialiter sociatam fieri ὁψιτάμενον, quod hominem dicimus*. Ubi observo, Vossium à se ipso quodammodo discedere, certe mentem suam intricatam loquendi formulam sic obscurare, ut communi opinioni minimè contradicere videatur, tamen si interim ipse arbitretur, se in contradictione illam adhuc fortiter & aperte perseverare. Quod argumentum est insigniter hic obnubilati intellectus, nec animadvertentis, quid aut quomodo rem eloquatur.

§. 34. Rem sic expedit. Protulerat Vossius in precedentibus exemplum Eutychi, cujus corpori ipse putat (rectène an secus, infra §. 51. videbimus) animam, etiam si verè jam erat mortuus, atque adeò homo esse desierat, adhuc praesto fuisse, sed unionem hanc tantum fuisse extraessentialem. Hinc ergò concludit hominem constitui in actu essentiali humanae, non per nudam animam cum corpore & qualemcunque conjunctionem, sed oportere ut nexus ille sit essentialis. Hoc ipse sic eloquitur: *anima non per se & à se hominem informat atque constituit, sed tum demum, quando corpori essentialiter sociata est*. Quid ergò vult dicere? Hoc, nempe, animam id facere mediante coexistentia, seu nexu essentiali.

§. 35. Atqui hoc pacto non contradicit vulgari sententiae. Nam & haec per §. 29. statuit ab anima corpus non informari actu, nisi essentialiter illi sit unita, sive non fungi hoc informandi officio absque tali nexu.

§. 36. Abutitur autem præterea Vossius hoc loco phrasi, *αὐτὸς* sive *immediate* aliquid agere. Quæ ita tantum solet usurpari vulgo, ut aliqua substantia immediate agere dicatur, cum inter ipsam & actionem ejus non medium locum occupat alia substantia, non vero excludi hæc phrasi solet *interventus modi entis* aut *conditionis sine quâ non*, qualis est coëxistentia quæcumque tandem. Quis enim v. g. gladium carnificis immediate secare collū hominis malefici neget, idè, quia facit hoc interuentu coëxistentiæ suæ cum collo, vel penetrationis per carnem & gulam? si tamen Vossio dicenda hæc sit sententia, clamaret ille, gladium hoc non facere *αὐτὸς*.

§. 37. Quod ad ipsam rem attinet, tamen concedimus Vossio, quod omninò quoque nemo sanus inficiabitur, ab anima corpus informari *sub conditione*, si illi neçtatur essentialiter, atque adeò coalescat cum eo in unum per se: minimè tamen hinc sequitur, quod ille opinatur sequi, nexum hunc esse ipsam hominis formam, sed tantum informationis actualis *conditionem sine quâ non*, animæ verò ipsius *modum*. Planè pueriliter ipse confundit conditionem sine quâ non, cum verâ causâ; modum entis, cum ipso ente; id, quod coëxistentia animæ dicit in casu reçio, cum eo, quod eadem dicit in casu obliquo.

§. 38. Secundum hæc judicari quoque poterit de illâ loquendi figurâ, quâ Vir Clarissimus §. 16. utitur, *id, quod hominem propriè constituit, esse conjunctionem animæ & corporis*. Concedemus equidem conjunctionem hanc requiri ad constitutionem hominis, non tamen aliâ lege dicemus eam requiri, nisi per modum *conditionis sine quâ non*, neutiqum verò per modum *causæ formalis*.

§. 39. Age videamus, quid porro proferat Vir magnus ad stabilendum *ἡ ἀδοξοῦ* suum. Sed partiamur hoc prius in assertiones duas, quarum prior negativa est; *anima non est forma hominis*; affirmativa posterior: *Coëxistentia animæ essentialis cum corpore est forma hominis*. Nunc vocemus eum ad processum logicum.

§. 40. Negativam suam hoc argumento adstruere conatur (§. 12.) *Quæcumque partes compositi possunt separatim subsistere, earum una non est forma alterius*. Anima & corpus ejusdem sum istiusmodi partes, quæ possunt separatim subsistere. Ergò. Majoris probationem omittit. Minorem probat (§. 13.) exemplo Adami, Lazari, Christi.

B

§. 41. Re-

§. 41. Respondeo: de minore nemo Christianus unquam dubitavit. Sed majorem negabit, quisquis nostrorum pro traduce pugnans in hunc campum cum Vossio descendet. Sollicitus ergo logicus est, in probatione id argumentis fulcire, quod adversarius non negat; id indefensum relinquere, quod unice est in controversiâ.

§. 42. Neque video, quid hâc tueri Vossium queat, nisi quis dixerit, in hâc de origine animæ humanæ controversiâ propositum ipsi fuisse, non cum Christianis congredi, sed cum Epicuræis immortalitatem animæ negantibus. Verum unde consilium hoc Vossii probabitur? Quid verò, si & aliquis de sectâ Epicuri majorem insuper neget, & in hâc negatione perseveret, donec contrarium probaverit Vossius? quâ quidem in re magis ille se mutum pisce præbet.

§. 43. Omnino major Vossiana vacillat. De naturâ enim seu essentiâ formæ substantialis, quæ corpus naturale informat, non est, ut separatim non possit existere, sed ut possit cum materiâ coalescere in unum per se. Ad hanc verò coalescendi potentiam satis est, si forma illa, etiam in statu separationis, vi primæ creationis sive juxta cursum naturæ à Deo institutum, retineat naturalem inclinationem ad materiam suam, ita, ut extrâ materiam semper habeat esse incompletum.

§. 44. Præterea si major illa Vossii vera esset, ne brutis quidem animantibus anima sua esset pro forma. Quis enim dubitet illam saltem per absolutam Dei potentiam, quod hâc satis est, posse degere seorsim? ut §. 28. anticipavimus. Ac tantum de majore syllogismi Vossiani.

§. 45. Quæquam autem majore subrutâ vis cadit totius argumenti, videamus tamen, quomodo *minorem* probet Vossius, in quâ erat, tam animam, quàm corpus hominis posse seorsim existere. Tria §. 13. profert exempla, unum *Adami*, alterum *Lazarus*, tertium *Christi*. De *Lazarus* & *Christo* litem illi non intendemus: Certum enim est, homine mortuo animam à corpore sic separari, ut ipsa quoque degat seorsim. At illud de *Adamo*, quomodo huc quadrat?

§. 46. Enimverò non agitur ibi de *Adamo* mortuo, sed de recens.

recens creato, vel jamjam creando. Corpus Adami hic separatim extitisse, antequam animam ipsi Deus inspiraret, sanè verum est. Sed undè probabit Vossius, etiam animam ejus extitisse seorsim, antequam uniretur corpori, si quis statuatur animam simul à Deo creatam, simul unitam fuisse corpori? Quod si dicat, probare se tantum voluisse, quod corpus existere possit sine animà; in-tempestiva hæc probatio est, cum id experientia edocti, credant etiam Epicurei, qui animæ immortalitatem inficiantur.

§. 47. Progredior ad exemplum Vossii (§. 14.) de Eutycho, quod quidem præcedentibus exemplis ita connectit ipse, ut, (nisi pro merâ digressionem habeas, aut amplificationem,) putes in eundem immediatè scopum hæc omnia tendere, nempe, ut probetur minor ejus, in quo hætenus versati sumus, argumenti. Sed huic profectò aptari illud, nisi tormenta adhibeas, non potest. Longè alii patellæ hoc operculum quadrat. Sed nescio an Vossius ipse, dum ista scribit, suas patellas inter se satis distinxerit; Id ergo nos faciemus.

§. 48. Reverà illud de Eutycho referri meretur ad argumentum novum, quo jam altera Vossii probetur conclusio, quam affirmativam esse §. 39. præmonuimus, jamque §. 38. aliquo modo discussimus. Novum illud argumentum ita concipias: *Forma hominis aut est anima, aut anima cum corpore coëxistentia; Non prius, (id quod Vossius putat argumento conclusionis negativæ, quod §. 40. recitavimus, probatum fuisse.) E. posterius. Porro: Si forma hominis est coëxistentia sive nexus anime cum corpore, verum hoc erit aut de nexu extræssentiali aut de essentiali. Non de extræssentiali (id quod exemplum probat Eutychi, vid. supr. §. 34.) E. de essentiali,*

§. 49. Omittamus ea, quæ circa majorem syllogismi prioris poterant moneri. Ad minorem quod attinet, argumentum negativæ conclusionis jam excussum est in præcedentibus §. 41. quo dissecto poteramus de iis, quæ porro sequuntur apud Vossium, securi esse. Sed de Eutycho tamen adnotandum aliquid.

§. 50. Provocat ipse Vossius ad ea, quæ aliàs dixerat c. 20. ubi p. 818. (al. f. 408.) hæc leguntur: *Quemadmodum anima cum corpore permanet, dum calor durat activus, quod vitam vocamus: sic eadem à corpore separatur, cum calor is deficit prorsus. Intellige autem*

B 2

separa-

separationem non ratione situs, & loci, sed ratione conjunctionis personalis. Nam utcumque anima in corpore sit, stramen non amplius informet, jure dicitur separata, quia non amplius vivificat corpus. Atque ita capienda sunt verba Pauli Actor. XX. v. 10. cum de Eutycho jam mortuo, sed mox vivificando ait, τὸν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἔσται, animam ejus in ipso esse. Neque enim illa corpore excesserat: duntaxat dissolutum erat vinculum ejus cum corpore.

§. 51. Quamquam autem non dubitamus facere Deum posse, ut anima præsto sit corpori, licet hoc non informet: tamen hujus rei exemplum Eutycho esse non videtur. Siquidem illa verba de eo Paulus pronunciat, cum jam super eum mortuum incubuisset, ut è textu sacro patet. Non igitur de Eutycho demum vivificando, sed jam vivificato loquitur. Et sic explicant hoc dictum Biblia Osiandri fol. 381. *Anima ipsius jam in ipso est: rediit jam anima ad suum corpus.*

§. 52. Ad ipsum discursum totum Vossii ut redeam, hoc ajo, si vi ejus Vossius concludere potest, conjunctionem animæ essentiali cum corpore esse formam hominis, æquè fortiter concludi quoque posse, eandem esse hominis materiam: atque sic eadem erit materia homini, quæ forma, quod absurdum.

§. 53. Etenim exemplo Vossii (juxta § 48.) sic procedo: *Materia hominis aut est corpus, aut corporis cum anima coexistentia. Non prius. E. Posterius. Assumptum similiter Vossium (è § 40.) imitatus sic probō: Quæcumque partes compositi possunt separatim subsistere, earum una non est materia alterius. Corpus hominis & anima ejusdem possunt separatim subsistere, Ergo.*

§. 54. Quod si posterioris hujus Syllogismi majorem probare jubeam, iterum, ut ne ab exemplo Vossii (de quo §. 41.) recedam, loco ejus probabo minorem, aut negabo certè, totà è disputatione Vossii causam perspicere me posse, cur de formâ procedat argumentum, de materiâ non æquè procedat.

§. 55. Superest expendamus, an Vossius in eâ controversiâ, quæ agitatur de animæ rationalis origine, negando animam esse formam hominis, præstitit aliquid supra cæteros, qui & ipsi cum eo creationem animarum asserentes ubi ad objectionem de negatâ hominis ab homine generatione univocâ (respice ad § 18.) respondere conantur,
com-

communem illam opinionem, quod anima sit forma hominis, neutramquam vocant in dubium, & nihilominus aliquid invenisse se putant, quo robur objectionis invictæ possint evertere. Num ergo hæc aliquid novi protulit Vossius? Nihil magnoperè, aut si quid adjecit novi, dubites, magisne id faciat labanti causæ fulciendæ, an concutiendæ.

§. 56. Plana res erit, ubi eum cum Bellarmino (militant enim & Pontificii in castris Inducianorum) comparaverimus, cujus de negotio præsentè verba hæc sunt lib. IV. de amiss. grat. c. XII. p. 401. *Verè & propriè dicitur homo hominem generare, tamen si anima non producat ab homine, sed inspiretur à DEO. Nam generatio non terminatur ad productionem formæ [quam animam esse tacitè hic innuit Bellarminus.] vel materiæ, sed compositi. Proinde qui animam cum carne conjungit, is verè hominem facit. Conjungit autem animam cum carne is, qui materiam ita disponit, quod facit homo per generationem, ut animæ infallibiliter consequatur. Homo igitur hominem per generationem verè producit, undecumque existat anima. Quid aliud urget Vossius noster in iis, quæ ex eo §. 17. descripsimus?*

§. 57. In duobus tamen à Bellarmino discrepare dicas Vossium. Primo enim non negat Bellarminus, uti Vossius facit, animam esse hominis formam; quâ in re putes quidem Vossianam istam hypothefin causâ Inducianorum haud parum prodesse; nam si anima ipsa non est forma hominis, atque adeo pars ejus essentialis (pro materiâ hominis nemo eam venditat.) salva erit, modo cætera rectè se habeant, hominis ab homine univoca generatio, si maximè anima filii non propagetur ex animâ parentum. Veruntamen quia demonstrata est in superioribus §. 41. & seqq. hypothefeos illius falsitas, à fulcro tam vermiculoso certius interitum causæ aliâs infirmæ, quàm constantiam licebit ominari.

§. 58. Deinde Bellarminus expressè ait *conjugi animam cum carne ab homine generante, qui materiam disponit, Vossius verò dispositionis quidem istius ultimam causam hominem facit, ab ipso autem homine conjugere animam cum carne, tacet. Vidit, opinor, distinctos esse actus, unum disponendæ materiæ, alterum conjugendæ cum materiâ formæ. Quorum primum utut homini parenti concedas, tamen nisi eidem simul alterum tribuas (quomodo autem tribuas, si*

animam ab ipso Deo creante infundi statuis ?) cadit generatio univoca, sive formam hominis in ipsa animâ, sive tantum in hujus cum corpore nexu essentiali reponas.

§. 59. Hæc cum ita sint, ut Bellarmino pariter & Vossio ad eundem scopum, licet non ubiqve parium jaculorum flexu collimantibus satisfiat, atqve Lector intelligat, à neutro solum esse illum *generationis univocæ* nodum, quo Inducianorum intricata jacet opinio, sic ordine procedemus.

§. 60. *Primo* rectè negabimus ad generationem univocam corporis viventis sufficere conjunctionem formæ cum materiâ absqve utriusqve productione.

§. 61. *Deinde*, esto, eam sufficere, falsum est, si anima creatur à DEO ex nihilo, conjunctionem animæ cum corpore fieri ab homine. Qværo enim *νατ' ἀνθρώπου* an animam DEUS cum naturaliter homines generantur, creet extra corpus embryonis an intrâ? Si extrâ, nulla creatura potest illam naturaliter loco suo movere, si intrâ, jam ergò ipse DEUS immediatè eam corpori univit, absqve operâ parentum, tanquam conjungentium causarum secundarum. Atqve hæc maximè sibi dicta putet Bellarminus.

§. 62. Qvod si *tertiò* excipiat Vossius, ad id, ut homo hominem generare dicatur, sufficere, si sit causa immediata ultimæ illius dispositionis, ad quam animæ & corporis conjunctio naturaliter sequitur: respondebo, ne quidem hoc magis ad univocam generationem corporis vivi sufficere, quam ad hoc, ut quis propriè dicatur *ἀποποιός*, sufficit, si modò farinam ultimò sic disposuerit, ut sit apta, quam mittatur in officinam pistoris.

§. 63. Age verò fingamus *quartò*, dispositionem illam ultimam sufficere, ut homo disponens dicatur generâsse hominem: solius nempe matris laus hæc fuerit. Qvis enim dicet dispositionem hænc ultimam (quam post diem à conceptione quadagesimum circiter in utero materno fieri, atqve tum animam à DEO infundi a-junt) à patre fieri, qui, dum hæc geruntur, præmortuus esse potuit? Sola ergò Mater generabit: Pater ab hæc laude, si propriè loquimur, excludetur.

T A N T U M

SOLI DEO GLORIA.

Corollaria.

I.

Homo non est unum per accidens.

II.

Per animam homo est id, quod est.

III.

Anima non semper actu cogitat.


IV.

Non dantur plures animæ realiter distinctæ
in uno individuo humano, sed una ani-
ma tribus pollet facultatibus.

V.

Animæ non creantur, sed traducuntur.





DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387




sb.

Reho ✓ 1077

5 | ♦ | 8





Herr
im
Herr
D
D



Q. D. B. V.
EXERCITATIO PHYSICA
De
FORMA HO-
MINIS

Contra ~~et~~ *Seddo* *ſov* Opinionem
GERARDI JOANNIS VOSSII

l. III. de Orig. Idol. c. 40.

Quam
Benev. Includ. Facult. Philoſophicæ
Indultu,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Ampliſſimi, atque Excellentiſſimi,
DN. M. JACOBI THOMASII,
Eloquentiæ P. P. longè celeberrimi, Fa-
cultatis Philoſophicæ Aſſeſſoris Graviſſimi,
Minoris Princip. Collegii p. t. Præpoſiti
digniſſimi

Domini Patroni, Præceptoris atque Fautoris
omni obſervantia cultu æternum
proſequendi,

publicæ Eruditorum ventilationi
d. 23. Septembr. A. M. DC. LXXVI.

Subjicit

GEORGIUS HEINRICUS *Sehmann*
Philof. Baccal.

LIPSIÆ, Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.

J. C. Geysland.

